

tur Librarius non nisi *unum* ejus Librum adgnovit. *Hieronymi* Prologum in L. *Esther* scribere auspiciatus est ille a lacinia de *Rufini Alphabeto*, cujus *νοθεια* perstrinxit *Vallarsus* in Not. ad *Hier. div. Bibliothecam*, *Martianaus* vero in Edit. *Maur.* T. I. col. 1137. etiam demonstravit; sed monuit alia manus in margine: *Non scribas hic, sed postea*, et ad finem genuini Prologi: *Sequitur ruffini in libro, scribas sine capitali*. Neque igitur *Corrector* iste *νοθεια* suspicatus est, sed ordinem tantum praeposterum castigavit. Ceterum variis in Exemplis legitur *Rursum pro Rufini*.

VII.

Pars altera S. *Bibliorum* ejusdem rationis Folior. 317. in principio et fine pariter adscripta *Monasterio S. Johannis in Seycz cartus. ordinis* omisso *Psalterio* progreditur a *Libellis Salomonis*, qui *Capitulationes* praemissas habent, *Canticum Cant.* vero etiam interfecta *Colloquentium* nomina. Ad calcem *Ecclesiastici* absque titulo comparet *Locus ille e Reg. III. c. 8. et Paralip. II. c. 6. Et inclinavit Salomon genua sua in conspectu totius ecclesie israel &c. Jeremiae* adjunctus est *Baruch*. Inter *Machabaeos* et *Matthaeum*, quo errore non liquet, incepta sed mox abrupta est *Apocalypsis*, quae demum post *Actus Apost.* a capite resumta est. Hanc excipiunt VII. *Epistolae Canonicae*, ubi I. *Joh.* c. 5. famosum *Testimoni-*

um a prima manu hodie sic legitur: *et hij tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in celo. pater. uerbum. et spiritus.* Dein jam rasum et rescriptum: *Et hij tres unum sunt.* Iterum a prima manu, sed inductum: *in terra. spiritus. aqua. et sanguis.* In margine vero omnibus his praeponendum notatur ab alia manu: *Quoniam tres sunt qui testimonium dant in terra spiritus. aqua. et sanguis.* Vides, quam labem *Voces* eadem brevi intervallo redeunt per *Scriptorum* incertiam, aut incuriam *Codicibus* late induxerint. Sub finem iterum initium datum est *Paulinis Epistolis*; verum eae jam integrae Parte priorre habentur.

VIII.

Codex membraneus lat. Sec. H. r XIII. Folior. 389. 4. min. per duas columnas admodum nitide, minutissime tamen exaratus, literis initiorum, inscriptionibusque picturatis continet vulgati Interpretis *Sacra Biblia* praemissis *Hieronymi* Prologis, notisque Argumentis hoc ordine: *Pentateuchus, Josue, Judices, Ruth, Libri IV. Regum, II. Paralipomenon, I. Esdrae, Nebemias, Esdrae Secundus, id est, Tertius apocryphus, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium, Libri Salomonis, Sapientia, Ecclesiasticus, Prophetae majores et minores, II. Machabaeorum, IV. Evangelia, Epistolae Paulinae, Apocalypsis, Actus Apostolorum, Epistolae Canoni-*